UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Qvæstio LXIII. Quomodo bona opera nostra aliquid promerentur, cum Deus & in præsenti & in futurâ vitâ mercedem pro his se daturum promittat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

dem, & non ex vobis, Dei enim donum eſt: Non ex operibus; ne quis glorietur.

b Ro.3.24.25. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius &c.* Rom.4.6. vide ſupra.

ab Resp. Principaliter *gratis*: accidenter, etiam meritoriè quoad nos.

c Rom.3.22. *Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti; in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio* Hebr.11.7. *Fide Noe reſponſo accepto de ijs quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum: & iuſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.* Romanorum 4.3. *Credidit enim Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Philip.3.9. *Inueniar in illo, non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſed aliam; quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide.*

c Resp. *Per fidem*; ſed non *ſolam*, etſi præcipuè iuſtificamur.

DOMINICA XXIV.

QVÆSTIO LXII.

Cur noſtra bona opera non poſſunt eſſe iuſtitia, vel pars aliqua iuſtitiæ, coram Deo?

Resp. Propterea quod oporteat eam iuſtitiam, quæ in iudicio Dei conſiſtat, perfectè abſolutam eſſe, & omni ex parte diuinæ legi congruentem [a]; *quà humanitus poſſibile in Chriſto*: noſtra vero etiam præſtantiſſima quæque opera, *etſi* in hac vita ſint *pleraque* imperfecta, atque adeo *ſubinde* peccatis inquinata [b]; *Chriſti tamen gratia efficit ea digna cælo.*

a In q. 4. & 10. *b* Phil. 3.12.13. Eſa.64.6.

b Philip.3.12.13. *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu.* Iſa.64.6. *Facti ſumus, vt immundus, omnes nos & quaſi pannus menſtruatæ, vniuerſæ Iuſtitiæ Noſtræ: & cecidimus quaſi ſolium vniuerſi; & iniquitates noſtræ quaſi ventus, abſtulerunt nos.*

b Resp. Nimirum reſpectiue ad Dei perfectionem & iuſtitiam infinitam; noſtra finita, quaſi nihili eſt: at in ſe attenta, eſt aliqua.

QVÆSTIO LXIII.

Quomodo bona opera noſtra † aliquid *promerentur, cum Deus & in præſenti & in futurâ vitâ mercedem pro his ſe daturum promittat?*

† nihil

Resp. Merces ea non datur ex merito [a], *principaliter, niſi de congruo*: ſed ex gratia [b] *de condigno Chriſti ſic meriti.*

a Luc.17,10. Rom.11.35.36. *b* Pſ.103.13.

a Luc.17.10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus.* Ro.11.35. *Quis dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria.*

a Resp. Quia tam acquiſitæ, quam infuſæ gratiæ, ſunt ex Deo per Chriſtum: Ex nobis n. ſolis perditio eſt. Ideo, vt ſequitur. *b* Pſ.102.13. *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.*

QVÆSTIO LXIV.

An autem Luthero-Caluiniſtica *doctrina non reddit homines ſecuros & profanos?*